Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

e siroialensi oratorio.
e bella ceca.
e ammonio precipitato.
e alio appenso.
e leomere contracto.
e willichario vincto.
e alpino comite debile.
e charigisilo contracto.
e aquilone amente.
e cariualdo debile.
e fune abciso.
e chariberto rege qui villam pervasit.
e oltochrio pictauiensis.
e eo qui in sanctam porticum periuravit.
ualiter me iterum eius virtus ab infirmitate restauravit in colonie.
e clerico nostro amente.
uod virtus eius ab aqua nostro tempestatem prohibuit.
e ligno beati cancelli.
uod virtus eius nobis inimicos inhibuit.
e sintericis.
e energuminis et frigoriticis.
e leomeria ceca.
e securo contracto.

Dominis et in Christo amore dulcissimis fratribus et filiis ecclesie Turonice mihi a Deo commisse. Incipit prologus de miraculis sancti Martini.

Miracula que dominus Deus noster per beatum Martinum antistitem suum in corpore positum operari dignatus est, cottidie ad corroborandam fidem credentium confirmare dignatur. Ille nunc exornat virtutibus eius tumulum, qui in eo operatus est cum esset in mundo; et ille prebet per eum beneficia christianis, qui misit tunc presulem gentibus perituris. Nemo ergo de anteactis virtutibus dubitet, cum presentium signorum cernit munera dispensari, cum videat claudos erigi, cecos illuminari, demones effugari, et alia queque morborum genera ipso medicante curari. Ego vero fidem ingerens libri illius qui de eius vita ab antioribus est scriptus, virtutes sub temporibus nostris factas, quantum queo memorie in posterum domino iubente mandare volo. Quod non presumerem, nisi bis et tercio ammonitus fuissem per visum. Nam omnipotentem Deum testem invoco, quia vidi quadam vice per somnium media die in basilica domni Martini debiles multos ac diversis morbis oppressos sanari, et vidi hec spectante matre mea; que ait mihi: Quare segnis es ad hec scribenda que prospicis? Et aio: Non tibi latet quod ita sim inops litteris, ad tam admirandas virtutes referendas, stultus et idiota non audeam promulgare. Utinam Severus aut Paulinus viverent, aut Fortunatus adesset, qui ista describerent. Nam ego iners notam incurro, si hec incurro adnotare temptavero. Et ait mihi: Et nescis quia nobiscum propter intelligentiam populorum magis sicut tu loqui potes habetur preclarum. Itaque ne dubites et hec agere non desistas, quia crimen tibi erit, si ita tacueris. Ego hec agere cupiens, duplici affligor cruciatu, meroris scilicet et terroris; meroris quidem cur tante virtutes que sub antecessoribus nostris facte sunt non sunt scripte; terroris vero ut aggrediar opus egregium rusticanus. Sed spe divine pietatis illectus, aggrediar quod monetur. Potest enim ut credo per mee lingue imperitiam ista proferre, qui ex arida cote in heremo producens aquas populi sitientis extinxit ardorem; aut certe constabit eum rursum os asine reserare, si labia mea aperiens per me indoctum ista dignetur pandere. Sed quid timeo rusticitatem meam, cum dominus redemptor et Deus noster ad destruendam mundane sapientie vanitatem non oratores sed piscatores, nec philosophos sed rusticos preelegit. Confidimus ergo orantibus vobis, quia et si non potest paginam sermo incultus ornare, faciet eam gloriosus antistes preclaris virtutibus elucere. c. i.

Multi enim sunt qui virtutes sancti Martini vel stante versu, vel stilo prosaico conscripserunt. Quibus primus ille Severus Sulpicius, cui tantus fervor amoris fuit in sanctum Dei, ut eo adhuc degente in seculo unum librum de mirabilibus vite eius scriberet. Exinde post transitum beati viri duos scripsit, quos dialogos voluit vocitari, in quibus nonnulla de virtutibus heremitarum anachoretarumve referente Postumiano inseruit; sed in nullo inferiorem nostrum potuit reperire Martinum, quem apostolis sanctisque prioribus exequavit, ita ut etiam diceret felicem quidem Greciam que meruit audire apostolum predicantem, sed nec Gallias a Christo derelictas quibus donavit habere Martinum.

Paulinus quoque beatus Nolane urbis episcopus post scriptos versus de virtutibus eius quas Severus conplexus est, quinque libris illa comprehendit miracula, que post eius gesta sunt transitum. Idem enim in sexto libro operis sui ait, cum energumini per cancellos basilice aereo veherentur volatu, et sepe in puteum impulsu demonis iactarentur, abstracti ex eo illesi, populis expectantibus sunt resumpti. Loquens et nostris temporibus vidimus gestum.